

Superest, ut ad tertiam Indiam accedamus, quam ultimo loco proponit Abdias, & finem facere dicit: *Nam ex uno latere tenebrarum regionem gerit, ex alio latere mare Oceanum.* Quibus verbis licet obscuris, nisi meum me argumentum fallit, arbitror Abdiam designare voluisse tertiam illam ulteriorem Indiam, quam supra diximus ab aliis Geographis communiter appellari, extra Gangem; quia ab hoc fluvio ad ultimos usque Sinas extensa; Indiarum; & totius terræ continentis, quæ ad Orientem terminatur, finem facit: Nam ab Occasu, Gange flumine, ab Oriente, & Meridie, mari Indico Meridionali, & Eoo, ab Aquilone, Septemtrionalissimis Tartarorum regionibus cingitur. Quam adeo ampliam limitum circumscriptionem non Abdias solus Indiae ulteriori tribuit, sed antiqui etiam, & nonnulli nostri temporis Scriptores, ut constat ex Strabon. lib. 15. Pomponi. Mela lib. 3. cap. 7. Cornel. de Judæis, Mercator. Volaterran. Robert. Stephan. Ortel. & aliis, quos supra retulimus, & ex Philostr. lib. 6. cap. 1. ubi sic ait: *Æthiopia totius terræ quæ sub Sole est, occidentale cornu occupat, sicut India id, quod ad Orientem terminatur.* Magin. dict. tab. 32. dum inquit: *India extra Gangem, quæ est provincia Magni, sive Chinens. regnum amplissimum.* Atque hoc nimirum significare voluit Abdias, dum Indiam hanc finem facere dicit. Quid enim aliud est finem facere, quam terram omnem, quæ versus Orientem habitabilis est Indiae hujus limitibus terminari? Sic enim Chthesias in Indicis, quem refert Phortus in sua Bibliotheca, ultra Indos nullos habitare homines affirmat; & idem colligitur ex verbis Pomponi. Mela lib. 1. cap. 2. & Paul. Orosii lib. 1. ubi Indos ultima mundi occupare inquit, quia à Meridie, & Occidente, Eoo, & Indico Oceano terminantur, quod Abdias exprimeret voluit in illis verbis: *Ex alio latere mare Oceanum.* Et confirmat Cornelius de Judæis in speculo Geograph. ubi Sinarum Regnum, quod præcipue, ut diximus, per hanc Indiae partem extenditur, sic depingit: *Ingens, latissimumque Regnum Sina, & quod ab ortu Solis ultimum terrarum merito existimatur, ab occasu novissimis Indiae terminis definitur versus Septemtriones à Scythiis, quos Tartaros appellant, mutuo metu, aut montibus, quin muro separatur: cætera Oceanus ambit, latos sinus, & immensa spatia complectens.* Idem latius tradit elegantissimus, & oculatissimus Sinesium rerum scriptor Nicol. Trigaultus lib. 1. Christ. expedition. in Sinas, cap. 2.

Neque mirum videri debet, si ad hanc partem Indiae fidem facere dicatur, cum & illa Arabiae Felicis regio, quæ Sabaa vocatur, & ad Indiam Citeriorem pertinet, ut supra retulimus, eod quod extremum Oceanum Australem pertingit, finis etiam terra, & remota, ac longinqua in multis locis Sacræ Scripturæ appelleretur, ut constat Joël. 3. Jerem. 16. Isaiæ 43. Matthæi cap. 12. ubi agitur de Regina Saba, quam Christus Dominus de finibus terræ, ad potentiam Salomonis videndam venisse inquit, ad quorum. & aliorum explanationem ita doctè observat Pined. de rebus Salom. lib. 5. cap. 14. num. 20. pag. 404. & n. 33. pag. 409. Et conducunt, quæ de eadem

Sabaa loquens, scribit Nicephor. lib. 8. cap. 35. & melius de universis his Indiis S. Epiphanius in Anchorato, ubi cum Phisonis, sive Gangis fluvii cursum describeret, & totam terram Hevilath, id est Indiam parvam, & magnam circumdare, ostenderet: *Penetrat autem, inquit, magnam Æthiopiæ, & cadit ad Austrum, & subit intra Gadiram in magnum Oceanum.* Et etenim hoc loco, per Gadiram verbum fines terræ significavit: antiquorum more, quibus Proverbium erat, *Non ultra Gades,* quando terrarum finem significare volebant, ut aperte constabit ex Manutio in adagiis pag. mibi 879. Maluend. de Antichrist. lib. 3. cap. 15. & de Paradis. cap. 39. pag. 118. & ex his, quæ latius trademus infra hoc lib. c. 9. num. 32.

Id autem quod de tenebrarum regione adjectum Abdias, proculdubio appositum esse videtur ad Aquilonares, sive Septemtrionales hujus Indiae partes denotandas; quas Tartaris conterminas esse ostendunt Auctores supra citati: Quorum tamen nomen, & imperium Abdias 66 tempore, nondum Asiae, vel Europæ populis innotuerat, sed omnis ille terræ Septemtrionalis tractus, quo nunc adeo longè, ac late Tartari dominantur, utriusque Scythiæ nomine & situ cognoscerebatur, & Nomades etiam dicebantur, qui ad Orientale Indorum mare spectabant, ut constat ex Strab. lib. 1. & 11. & Nicephor. Gregor. lib. 2. histor. Rom. Quousque Tartari, qui inter eosdem Scythas magis Orientales & Asiaticos, parvam quamdam regionem occupabant ultra Caspium mare, & intra Imaum montem; ex ea instar torrentis egressi, in Romanas Provincias irruentes, Asiam penè omnem, & partem Occidentis debellarunt, circa annum Christi 1220. ut latius refert Martin. Chromerus de reb. Polonicis lib. 7. Nicephor. Greg. dict. lib. 2. Leonici. Calcondil. rerum Turcicar. lib. 3. Genebrard. anno Domini 1222. Naucle. 2. vol. generat. 41. & Abraham Bozius hist. Eccles. ann. 1241.

Ideo quæ autem hunc cæli & terræ tractum, quem nunc Tartari occupant, quemque Borealem, Aquilonarem, vel Septemtrionalem appellare potuit Abdias, tenebrarum regionem gerere dixit; quoniam tam antiqui Scriptores, quam novi Septemtrionales plagas tenebras appellarunt, ut late & optime prosequitur Strab. lib. 1. & 10. ubi Homeri carmina citat, eumque totius Geographiæ parentem appellat, qui de Ithaca Ulyssis patria, & de quatuor mundi climatibus agens, sic cecinit:

*Hec humilis jacet ad tenebras multum æquora supra,
Hæc recus Auroram spectans, Solisque nitorem,
Dextera sive adæant Auroram, & Solis ad ortum,
Sive patet illi lætam obscuraque tenebras,
Novissim hæud Socii tenebræ loca, lucis & ortum,
Aut ubi Sol nitidus terra succedit ad ima,
Aut ubi descendit.*

Ubi manifestè per tenebrarum loca, quæ Septemtrionalia sunt, intelligenda veniunt: Quo loquendi genere, non Poetæ tantum, sed alii etiam Historici, & probatæ fidei Auctores uti solent, et eod quod multo per annum tempore in plurimis Aquilonaribus regionibus Sol non appareat, & nedum noctu tenebræ sint, verum & interdiu

dium aër in modum crepusculi caliginosus, & quo unaquæque earum à cardinibus Septemtrionum propinquior, vel remotior existat, dies ac noctes breviores, vel longiore dimensione transigatur; prout in Rhiphas, Arimaspiis, Hyperboleis, Arimphaeis, Attacis, Hibernicis, & aliis contingit. Quas idè Plin. lib. 4. cap. 12. partem mundi appellat *dammata* à natura rerum, & densa mersam caligine, neque in alio quam rigoris opere, gelidis Aquilonis conceptaculis. Et lib. 2. cap. 68. de extremis mundi ætibus, sive verticibus loquens, quorum unus Septemtrio vocatur, & alter illi adversus Austrinus; Perpetua, inquit, caligo utrobique, & alieno molliorum siderum aspectu, maligna, ac pruina tantum albicans lux. Et idem tradit Solinus in Polyist. cap. 12. Pompon. Mela lib. 3. cap. 2. & seqq. Caesar lib. 5. de bello Gallie. Et de Suetia, Elsingia, Angermania, Noruegia, Scythia, Gothia, Moscovia, Livonia, Russia, Scandia, Engrovelandia, Andogitia, Novogroquia, Biarmia, Finnorchia, & aliis, quarum aliqua unius diei, uniusque noctis integrum annum habent, alia trium, quatuor, quinque mensium dies continuos, & totidem continuas noctes: Olavus Magnus in histor. Septemtrion. Magin. tabul. 24. de Tartarorum imperio. Anton. Bofin. rer. Ungar. lib. 1. Paul. Jov. in Moscovia; & Simon Majol. omnino videndus, in diebus Cantuel. tom. 1. col. loq. 17. de proprietat. locorum, pag. mibi 393. & seqq.

Quibus præ adjecto Marc. Paul. Venerum qui in suis relationibus, lib. 3. cap. 49. circa ultimam partem regni Tartarorum, se quamdam regionem invenisse tradit, quæ peculiari nomine regio tenebrarum dicebatur, à perpetua, quam ibi Sol habebat, obscuritate; & Paul. Jovius ubi supra, præ aliam regionem ultra Lapones esse scribit, inter Corum, & Aquilonem perpetua caligine oppressam, in qua Pygmæi reperiuntur.

Ut sic interim Cimmericos præteream, qui ad Occidua Asiæ supra Albaniam positi, adeo tenebris, densisque caliginibus circumsepti esse dicuntur, ut alter alterum oculis vix conspiceret queat; de quibus loquitur Herodot. lib. 4. Plin. lib. 6. cap. 6. Cicer. lib. 4. Academ. quaest. Ovid. lib. 11. Metamorph. ubi apud eos somni Dei regiam domum constituit: Erasim. in adag. Cimeria tenebræ: Festr. Pompejus, Ortelius, & Stephan. verb. Cimerii: Majol. ubi supra, & eleganter Homer. Odys. 11. sic inquit:

*At illi Oceani pervenit summa profunde,
Illic sunt populi, & mania Cimmericorum;
Nubibus & cæca assidue caligine recta:
Illos hæud unquam radiis Sol aspicit ardens,
Nec quando astriferum curru petit ardens axem;
Nec rursus ad terras magno deœctus Olympo,
Sed nos incumbit miseris mortalibus apra.*

Et qui velit præ mirandam historiam de quadam alia Provincia nebulosa, quæ vocatur, Hamsem, & est etiam intra Asiæ fines, in regno Georgiorum, legat Haiton. de Tartaris, cap. 10. Ortel. ubi supra; & Maluend. de Antichrist. lib. 3. c. 7. pag. 120.

Est autem adeo certum hanc ulteriorem, & Sinarum Indiam, de qua nunc loquimur, ex hoc latere, quo ad Septemtrionem vergit, vel ad re-

gionem tenebrarum, ut loquitur Abdias, esse admodum Borealem, sive Septemtrionalem, ut à Borealissimis non multum distare videatur: Nam ingentes illi muri, quibus à Tartaris Sinæ disjunguntur, ad secundum, & quadragesimum versus Septemtrionem gradum elevati Poli pertingunt, ut auctor est Pater Trigault. dict. lib. 1. expedit. ad Sinas, cap. 2. Nec dissimiles hujus tractus hycemes cæterarum Aquilonarium regionum, rigidis brumis, & intolerabili frigore, ut ipse Pater lib. 4. cap. 4. Sinenses omnes fluvii in borealibus plagis sub ipsa hyemali initia, ita gelu concreverunt, ut navigium pervadi minime possint, at plaustris etiam fidum transitum præbeant, &c.

CAPUT II.

De earumdem Indiarum Orientalium dignitate, & excellentiis; & an, & quatenus ab antiquis cognita, & illustrata fuerint.

SUMMARIUM.

- 1 Longa non sunt quibus nihil idem potest.
- 2 Supervacua dicere satius est, quam omittere necessaria.
- 3 Indiarum Orientalium divitiae, & excellentia, & Auctores qui de eis agunt.
- 4 India Orientalis felicitas, & plura in ea natura miracula ex Plinio, Lisdoro, & aliis.
- 5 Paradisus voluptatis in Orientali India positus dicitur.
- 6 India Orientalis est terrarum principium, & dextera mundi manus.
- 7 India Orientalis monstra, quæ à Plinio, & aliis recensentur, fabulosa sunt.
- 8 Auctores antiqui, qui de India Orientali scripserunt, in multis fallunt.
- 9 Indicas mulieres aprinos dentes habere, & eorum vitæ cibis parere, quidam referunt.
- 10 Indi Orientales longævi, & de quodam nostri temporis, qui 335. annos excessit.
- 11 Gigantes an hodie sint, vel olim fuerint in Orientali India, & in aliis regionibus, & plura de illis remissive.
- 12 Salomonis vigiles erant Gigantes, & hodie Regis Sinarum.
- 13 Gigantes nostra ætate reperti apud Canibales, & fretum Magellanicum.
- 14 Anthei proceritas excedebat sexaginta cubitos.
- 15 Gigantes an vi magica nasci possint.
- 16 Alphonso Carranza J. C. eximius laudatur, ibid.
- 16 India Orientales olim cognita, & à quibus illustrata, & num. 29.
- 17 Bacchus in Orientalem Indiam penetravit.
- 18 Herculis expeditio in Indiam Orientalem.
- 19 Alexander Magnus quousque Indiarum Orientalium pervenit.
- 20 Sesostris Egyptiorum Rex ultra Gangem processit.
- 21 Sesostris superba monumenta, quæ in India reliquisse dicitur.
- 22 Sesostris crudelitas in Reges victor, & Trophæa invenienda.
- 23 Antiochus tentavit expeditionem in Indiam Orientalem.
- 24 Brachmanes Indorum Philosophi ex Judæis descendebant.
- 25 Indi Orientales ferosolymis convenerunt in Pentecoste.
- 26 Indi Orientales Romam olim venerunt, & umbras suas mirabantur.
- 27 Indiarum Orientalium navigatio à quibus olim tentata.
- 28 Indi Orientales olim in Germania naufragio delati.
- 29 Antiqui cognoverunt Indiam Orientalem, Æthiopiæ, & Trapananam.

- 30 Apostoli & praeteritum D. Bartholomaeus Indiam Orientalem predicando iustiarunt.
- 31 D. Bartholomaeus Evangelium Matthaei in Indiam tulit, & indicem traxit.
- 32 D. Thomas maximus in predicatione Indiae interioris progressus fecit, & illius Apostolus merito vocatur.
- 33 D. Thomas etiam apud Sinas, & Basilienfes predicavit.
- 34 Socrates, & Rufinus convincuntur, dum tradunt, nullum ex Apostolis in India ulteriori predicasse.
- 35 Parthia olim generale nomen erat, & universas ferè nationes Asiae denotabat.
- 36 D. Thomas praedicationis in India interiori multa vestigia nostris temporibus reperta.
- 37 D. Joannem in India Orientali predicasse aliqui tradunt.
- 38 D. Thomas corpus Maliapurae inventum, & ejus miracula.
- 39 D. Thomas miraculum insigne apud Indos.
- 40 D. Thomas vaticinium de Lusitanorum adventu ad Indos Orientales, & num. 44.
- 41 Crucis Maliapurae à D. Thoma erecta miracula.
- 42 Lusitani D. Thomam Apostolum in India, ut patronum agnoscunt, & venerantur.
- 43 Christiani S. Thomae in India quales.

Atque haec quidem haftenus de vero & proprio Indiarum nomine, earumque situ, & divisione: In quo tamen quis forte me nimis longum sermonem tenuisse succenseat, audiat precor Martiale dicentem:

Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possit.

- 2 Et Plin. Jun. lib. 6. epist. 2. † dum inquit: At quaedam supervacua dicuntur etiam, sed satius est, & haec dici, quam non dici necessaria.
- 3 Fuerunt autem ejusmodi Orientales † Indiae, tam soli, quam caeli ratione, & ob divitias, temperiem, ubertatem, gentium mores, ac portentosas varietates, oppidorum & urbium incredibilem multitudinem, & alia plura, quae in se continebant naturae miracula, omni semper seculo ab auctoribus commendata, ut constat ex Herodoto, lib. 3. Ethesia Guidio in lib. Indiarum, apud Photium in Biblioth. num. 66. 67. 69. Diodor. Sicul. lib. 3. & 5. Plin. lib. 5. cap. 8. & lib. 6. cap. 17. lib. 7. cap. 2. & lib. 37. cap. ult. Solin. cap. 55. Strab. lib. 15. Arriano, Quinto Curtio, lib. 8. Plutarchi in vita Alexand. Magni: Philostrati, lib. 3. de vita Apollonii: Pompon. Mela lib. 1. cap. 4. & lib. 3. cap. 7. D. Isidor. lib. 34. Etymolog. cap. 8. Agell. lib. 9. noct. Attic. cap. 4. Nicephor. lib. 9. histor. cap. 19. Paul. Oros. lib. 1. cap. 2. M. Paul. Veneto in relat. Oriental. lib. 3. Coel. Rhodig. lib. 18. lect. antiq. cap. 31. Joan. Boëm. de moribus gent. lib. 2. cap. 8. Carol. Steph. & Joan. Funger. in dictionar. verb. India: Abraham. Ortel. in Thesaur. Geograph. eodem verbo, & in Theatro magno, tab. 94. ubi alios auctores, qui de eis scribunt, adducit. Quod & praestat Magin. tab. 32. Pined. de reb. Salomon. lib. 4. cap. 16. §. 9. n. 6. Maluend. omnino vidend. lib. 3. de Antichrist. cap. 21. & 22. & de Paradiso, cap. 52. Jacob. Pontan. in 1. tertii progym. 16. pag. 292. & seq. & de monstris agens Franc. Torreblanc. lib. 2. de Magia, cap. 33. & nos infra plures ex novioribus adducemus. Quae omnia sigillatim prosequi, & illustrare supersedemus, quia res quidem sine exitu esset, si cuncta hujus felicissimae regionis bona huc vel-

de Indiarum jure,

lemus attexere, quam praeter ceteris pulchritudine excellere, & omnibus, quae ad vitam necessaria sunt, quae ad delicias, atque opes spectant, elegantiori sermone tradit Diod. ubi supra, & † Plinius non minus eleganter, aliam illius caeli faciem esse, alios syderum ortus, binas messes in anno, binas aestates, median inter illas hyemem, lenes ibi auras, mare navigabile, gentes, & urbes innumerabiles, & arbores, atque homines proceritatis, quorum aliqui centenos & ducenos annos absque ulla aegritudine degunt, & quina cubita longitudine excedunt: alii aversas habent plantas, & octonos digitos in singulis pedibus: alii caninis sunt capitibus, & pro voce latratum edunt: alii singulis cruribus, qui Monosceli, vel Scelopoda dicuntur: alii sine cervice oculos in humeris habentes: alii natium loco tantum foramina: alii sine ore, halitu tantum viventes, & odore, quem naribus trahant: alii, qui se totos propriis auribus contegant: alii Pygmaei, qui cum gruibus bella gerunt, à quibus infestantur.

Sed praestat ut omnium vice, ac voce D. Isidor. sic loquentem audiamus: India vocata ab Indo flumine, quo ex parte Occidentali clauditur: haec à Meridiano porrecta, usque ad ortum Solis, & à Septentrione, usque ad montem Caucasion pervenit, habens gentes multas, & oppida, Insulam quoque Trapobanam elephantum refertam, Chrysem & Argyreum auro, argentoque secundas: Tilem quoque arboribus foliis numquam carentem. Habet & fluvios Gangem & Indum & Hyppasia illustrantes Indos. Terra India Favonii spiritu saluberrima, in anno bis metit fruges: vice hyemis Eteivis potitur. Gignit autem tintidi coloris homines elephantos ingentes, Monoceron bestiam, Pittacum avem, ebrium quoque lignum, & cinnamomum, & piper, & calamum aromaticum. Mittit & ebur, lapides quoque pretiosos, berillos, chrysopratos, & adamantem, carbunculos, lychnites, margaritas, & uniones, quibus nobilium foeminarum ardet ambitio. Ibi sunt & montes aurei, quos adire propter Dracones, & Gryphas, & immensorum hominum monstra, impossibile est.

Inter † quae hujus Indiae bona illud omittendum non est, quod iudicio meo ad ejus maximam voluptatis à Deo positum fuisse, secundum probabilem, & magis communem opinionem: Lactant. Firmian. lib. 2. divin. instit. cap. 13. Isidor. d. lib. 14. Etymol. cap. 3. Nicephor. d. lib. 9. histor. cap. 19. Damasc. lib. 2. cap. 11. S. Thom. 1. part. quaest. 102. art. 1. & aliorum multorum Patrum, quam eruditè refert, & illustrat Maluend. de Paradis. cap. 51. Martin. Delr. in adag. sacris, adag. 789. pag. 379. & Ludov. Ballester. in Hierologia, lib. 2. cap. 4. pag. 101. quibus consentit S. Alcim. Avitus lib. 1. de initio mundi, dum ait:

Est locus Eo mundi servatus in axe, Secretis natura suis ubi Solis ab ortu Vicinos, nascens Aurora repercutit Indos.

Ad eandem † quoque ejusdem Indiae laudem pertinere videtur, quod eam terrarum principium, & universi Orbis manum dexteram esse, communiter Auctores testantur, ut patet ex Div. Thom.

Thom. d. q. 102. Aristot. lib. 2. de caelo, cap. 15. Coelso Rhodigin. lib. 1. antiq. lect. cap. 21. Chasan. in Catalog. glor. mundi p. 12. consider. 4. ad finem, & consid. 10. fol. 1246. Maluend. d. tract. de Paradiso, c. 21. Optime ut solet P. Joan. Pined. in comment. in Job, c. 23. vers. 9. & Jacob. Pontano, dict. progymnas. 16. pag. 292.

Licet non ignorem, non omnia, quae à Plinio, & aliis antiquis de hac India traduntur, certa esse, † praeteritum quae de illis monstris hominibus produnt, Hodierna quippe experientia contrarium nostri comperit, qui illas oras diligenter quotidie perlustrant. Neque ipse Plinius adeo levis fuit, ut ea pro veris traderet: nam lib. 37. capit. ult. agnoscit multa, quae de India scribuntur, fabulosa esse: & ea etiam irridet Strabo lib. 2. Geograph. Et idem † generaliter de universis Indiae Scripturibus tradit Theat. vitae humanae, volum. 6. pag. 1591. loc. 1. in fin. quos, inquit, ut plurimum falsa locutos fuisse. Quale & illud videri potest, quod scribit Oederic. lib. 1. † Indicas scilicet mulieres apud more dentes prominentes habere, & compertas fuisse, centum vicibus peperisse, & alia admodum portentosa, quae ex variis Auctoribus recolat Sim. Majol. in dieb. Ganicul. 1. tom. colloq. 3. pag. 71.

Planè † quod de longa & propagata hominum Indiarum vita, Plinius, & alii recensent, ad soli & coeli temperiem referri possent, sed ratio quoque id hodie conspicitur, & portenti loco narratur hominem quemdam ibi à Gardangium gente, quam Benglam vocant, annos trecentos & triginta quinque excessisse, cui aliquoties jam deciderant dentes, aliis continuo subnascentibus, & barba ubi prorsus incanuisset, in atrium denno colorem, idque paulatim, semetipsa vertebat, ut latius ex Ferd. Castañeda lib. 8. & aliis Lusitanicis rerum Indicarum Scripturibus commemorat Maffejus lib. 11. hist. Ind. pag. 259. Petr. Damariz de varia hist. Dialog. 5. c. 1. pag. 322. Fr. Anton. de S. Roman. in hist. Ind. Orient. lib. 3. c. 18. Mart. Delr. qui rem Israem alii exemplis confirmat lib. 2. diquisit. Magie. quaest. 23. Maluenda d. lect. tract. de Paradiso cap. 52. pag. 164. & novissime Anton. Vasconcel. in Anacephal. Reg. Lusit. pagin. 297.

Rursus † quod de Gigantibus ejusdem Indiae tradunt, hodie falsum esse experimur: nam frequentius est, ut pusillo corpore sicut, licet negari non possit, in aliquibus Insulis Orientalibus, & Occidentalibus, & in aliis regionibus Gigantes olim fuisse, imò & hodie esse, licet non ita communiter, eo quòd mundus homines nunc saturata breviores ubique educat, qui recens dum esset, & florente juventute, maximos & proceros protulit, ut habetur apud Esdram lib. 4. c. 5. De quo articulo qui vellet plura ad multa sacrae Paginae, & prophanorum Auctorum testimonia intelligenda, & comprobanda, legat omnino Theod. Oleastr. Perer. Delr. & alios sup. Genes. c. 6. Philon. in lib. de Gigantibus: D. August. lib. 15. de civit. Dei c. 9. & 23. & ibi Lud. Vives in addit. D. Isidor. lib. 11. Etymol. c. 3. D. Greg. lib. 7. Moral. c. 11. Joseph. lib. 1. antiq. Judic. c. 10. & lib. 5. c. 22. Summ. Tabien. post. D. Tom. verb. Gigantes: Fungier. in Etymol. sub. eodem verb. Hieron. Magium lib. 1. Miscellan. c. 4. Just. Lips. in Physiolog. Stoic. Tom. I. de Ind. jure.

lib. 3. dissert. 5. Gasp. Sanchi. sup. Isa. cap. 26. n. 34. & c. 35. n. 37. Maluend. de Paradiso c. 57. Petr. Opmeer. in oper. Chronographi. p. 9. Pined. in Job. 2. t. p. 419. & seqq. & de reb. gestis Salom. lib. 5. c. 13. §. 13. p. 398. n. 26. † qui vigiles † & excubitores Salomonis Gigantes fuisse tradit, prout hodie esse dicit Regis Sinarum, ex relatione Parris Melchior. Nunesii in literis de reb. Japonicis, & Sinarum ann. 1555: & plura miranda exempla Gigantum omnium saeculorum, recenset Bapt. Fulgos. lib. 1. memorab. c. 6. de miraculis fol. 25. & seq. Simon Majol. 1. t. colloq. 2. p. 47. & seq. t. 2. colloq. 1. p. 49. vers. Fabulam de Gigantibus & t. 3. colloq. 3. p. 547. & Antonius Pigaferta, † qui affirmat apud Canibales Armeniae visum à se Gigantem, qui supra nostrates homines à cingulo emerit. Et alios repetos fuisse tradit sub Polo Antartico, ad fretum Magellanicum, & in aliis partibus nostrarum Indiarum Occidentalium, de quo nos peculiariter ageimus infra c. 10. n. 54. Videantur † etiam, quae de monstra Anthai proceritate sexaginta cubitos excedente refert Plutarch. in Sertorio: Strab. lib. 17. Geograph. fol. 170. Pompon. Mela lib. 3. c. 11. Joan. Brodaus lib. 1. Epigram. Graec. & novissimus Bern. Alderete antiq. Hispan. lib. 4. c. 3. p. 500. qui alia quoque notanda de Gigantibus tradit eodem lib. 4. c. 12. p. 552. & 553. & latissime Theatrum vitae humanae vol. 2. lib. 2. ex pag. 274. ad 277. Fr. Joan. Torq. in Monarch. Ind. lib. 1. cap. 13. & Doct. Huert. in annot. Plin. lib. 7. c. 2. fol. 16. & c. 17. fol. 42.

Et an † vi magica Gigantes nasci possint, & † alia plura de eis doctè & diligenter, ut solet reliqua, tractat Mart. Delr. lib. 2. diquis. Magie. quaest. 15. pag. 86. & ejus transcriptor, sive Epitomator Franc. Torreblanc. meus olim Salmanticae auditor lib. 2. de Magia c. 32. Et novissime, cum jam haec praelo committebamus, eruditissimus Alphons. Carranz. in praefata disputatione de vera humani partus naturalis, & legitime designatione, c. 17. p. 59. ex n. 50. ad 59. in qua nos quoque, licet immetitos, honorificis interdum titulis, interdum censoris notis, & obelis prosequitur, quibus sanè respondere facile esset, nisi magis modestia, quam vanae existimationis periculum verceretur: Maxime cum

Non ego vel primus patiar, vel tertia rolas. Saepe premiis magnos ista ruina viros.

Hujusmodi verò † Orientales Indias jam olim ab antiquis non tantum cognitas, sed & magna ex parte illustratas, aperte constat ex Auctoribus supra relatis: Nam † de Baccho sive Libero Patre legitimus, illic cum exercitu commicasse, & gentes illas antea agrestes & feras, in civitem & politicam vivendi formam reduxisse. Herculeum quoque † Aegyptium, eandem Indiam aperuisse ex Magasthene, & Plinio tradit Coelius Rhodig. lib. 18. antiq. lect. c. 31. Et idem ab eisdem, & in lib. 1. Machab. c. 1. narratur † de Alexandri Macedonis expeditione, qui magnam harum Indiarum partem peragravit, & subegit: & Plutarcho teste, nisi segnitias & vecordia militum ejus conatus impedisset, non prius inde arma revocasset, quam omnes illarum angulos penetrasset, & suo imperio subjecisset. Seseostis † quoque Aegyptio-

piorum Rex septima post Merim saboles, qui Salomone defuncto, Hierosolymam cepit, ut est 3. Reg. 14. Asia magna partem, Thracas, ac Seythas devicit; & in his Indis ultra Gangem processit, si credimus Diodor. Sicul. & Herod. lib. 11. & Tom. Bocio de sig. Eccles. lib. 23. c. 14. Qui re- 21 ferunt eum, & multos passim ibidem Cippos, suarum victoriarum monumenta reliquisse, in quibus hæc erat inscriptio: *Hanc ego regionem meis obtinui humeris: Vel, Hanc provinciam subegit Rex Regum; & Dominus Dominorum Sesostris;* sic enim se appellare faciebat, regnoque impotenti in- 22 solens, eò ferocia; & superbia processit, & ut sorte ductos Reges, annis singulis ad curram jungeret, ut eà pompâ per omnium ora triumphans vectaretur ut ostendit Lucan. lib. 10. cum cecinit:

*Venit ad Occasum, mundi que extrema Sesostris,
Qui Pharios currus Regum cervicibus egit.*

Et si cum hostibus, qui magno certamine dimicassent, & præsentî animo restitissent, rem gessissent, ibi trophæum cum coelestis, & virili membro erigebat; si verò remisso & languido animo, per ignaviam segniter victi, aut nullo negotio pulsati essent, contraeas, mulierum instar, depingebat, tamquam desidiosos & ignavos, & ita in trophæum ponere consueverat, ut ex eodem Herod. lib. 2. & Diod. lib. 2. c. 1. tradit Alex. ab Alex. dier. genial. lib. 1. cap. 22. & ibi Tiraquel. in addition.

23 Antiochus & etiam si Polybio credimus, & alii Duces & Imperatores eandem expeditionem tentarunt, sed parum in ea profecerunt, ut in c. seq. trademus.

24 Judæos & in eisdem Indiis colonias posuisse, quinimò & Brachmanes Philosphos Indorum celebratissimos ex Hebræorum gentibus esse; & illorum sectam & disciplinam in multis rebus sequutos fuisse, ex Magesthene observat Georg. Venet. in harmon. mundi, t. 1. cant. 1. c. 1. Clearchus apud Joseph. lib. 1. contra Apion. Gram. & diligentissimus P. Mag. Fr. Joan. de la Puente Regius Chronista de convenient. utriusque Monarch. lib. 2. c. 17.

Et Oecumenius narrat. lib. 1. Actor. Apostol. Indos, & Seythas Hierosolymis convenisse in die Pentecostes. Quod mirum videri non debet: nam 26 & & Romam petisse tradit Plin. lib. 6. c. 22. adjiciens, quod *illis maxime mirum erat umbras suas in nostrum cælum cadere, non in suam, Solemque à læva oriri & in dexteram occidere, potius quam à diverso.* Quod etiam de Arabibus prius eadem ratione Lucan. scripserat, lib. 3. Pharsal.

27 Ignotum vobis, Arabes, venistis in Orbem, umbras mirari nemorum non ire sinistras.

Idem etiam Plinius *ibidem.* & lib. 2. cap. 67. aliquas & Hannonis, & aliorum navigationes scribit, quibus videtur, non terrâ tantum, verum & mari, commercium cum his regionibus institutum: Nam in sinu Arabico, res gerente Cajo Cesare, Augusti, filio, signa navium ex Hispanensibus naufragis cognita fuerunt: & Quinto Metello Celeri, C. Afranii in Consulatu Collegæ, sed tum Gallia Proconsuli, Indi à Rege Suevorum dono 28 dati, qui ex India commercii gratiâ navigantes,

in Germaniam tempestatibus abrepti erant. Quæ Plinii loca recensens Joseph Acosta lib. 1. de natur. novi orbis cap. 11. & 19. & Fr. Greg. Garc. lib. 1. de Indor. orig. c. 2. §. 7. pag. 42. c. 4. §. 1. pag. 67. non amplius modo à Lusitanis pernavigari inquit, quàm illo utroque naufragio, & Indorum usque ad Germaniam & Hispaniensium usque ad Sinum Arabicum percursum est. Et idem de aliis ad eandem Indiâs navigationibus tradit Maluenda de Antichristo, lib. 3. c. 15. pagin. 143. & novissimè post hæc scripta Doct. Seraphinus Freitas de justo Imperio Lusitano Asiatico, cap. 3.

Et generaliter & antiquos notitiam Æthiopiae, & hujus Orientalis Indiæ & Auræ Chersonesî habuisse, quamvis hæc provinciæ infra terminos Torridæ Zonæ consistant, pluribus probat Joan. Boter. in relationibus universal. 1. p. vol. 2. lib. 2. ubi inter alia citat illud Ovidii:

*Quid tibi si calida prosit, laudare Syene,
Aut ubi Trapobanam Indica tingit aqua?*

Apostolis & quoque curam fuisse in his adeo 30 latis, & vastis Indiarum Orientalium regionibus Christi Domini fidem, & Evangelium prædicare, D. Bartholomæus ostendit: de quo scribit Dionys. Areopagita in lib. de Mystic. Theolog. ad Indos profectum esse, illucque lato secum volumine Evangelii D. Matthæi Christum annuntiasse: & consentit Venantius Fortunatus de gaudiis vite æternæ, dum canit:

*Inde triumphantem fert India Bartholomæum,
Matthæum eximium Naddaver alta virum.*

Quam Indiam Citeriorem fuisse supra capit. præced. n. 52. pluribus comprobavi: Quibus & addidit D. Isidor. in lib. de ortu, & obitu S. Patr. cap. 75. Indis Evangelium D. Matthæi in vernaculum eorum sermonem vertisse. Et cum postea circa annum Christi 178. Indi legatos misissent ad Demetrium Alexandriæ Episcopum postulandum Doctorum gratiâ, & is Panthæum Philosophum demandasset; hic illud Evangelium à S. Bartholomæo transcriptum reperit, & in reditu Alexandriam detulit, ut inquit D. Hieron. de Scrip. Eccles. in Panthæo, & in Epist. 84. ad Magnum. Genebrard. in Sotere, & in Victore; & novissimè Fr. Joan. de la Puente de convenient. utriusque Monarch. lib. 2. cap. 28. §. 2.

Sed qui & majores in his Indiis Orientalibus 32 fecit progressus, præcipuè in illa, quam interiorem, sive ulteriorem vocari diximus, & propriè ejus Apostolus vocari meruit, fuit D. Thomas cognomento Didymus, is enim provincias Parthiæ in Orbis terrarum Apostolica distributione sortitus, in has quoque interioris Indiæ regiones pervenit, & cum omnes ferè earum populos perlustrasset, & in christiana religione, cum mirabili fructu instituisset, tandem Regis jussu lanceis transfixus occubuit, ut testatur Martyrol. Roman. die 21. Decembris. ubi latè Baro. in notis. Idem Baron. anno Christi 44. num. 35. Gregor. Nazianz. in oration. ad Arrian. Greg. Papa bonif. 17. in Evang. Isidor. ubi supra, cap. 76. & Niceph. lib. 2. histor. Eccles. cap. 40. ubi ait, quod eum viderunt, & audierunt quicumque in extrema Orientis ora ad ultimum Oceanum con- lunt

lunt; & idem affirmat Hoyton. Armen. in hist. Tartarorum, cap. 6. Eoque producit Maluend. lib. 3. de Antichristo. cap. 10. & ut ad Sinas usque penetrassent: contendat, sicuti Maffæus quoque affirmare videtur, lib. 1. hist. Ind. pag. 45. & lib. 6. p. 142. Pet. Jarric. in Thes. rer. Indic. lib. 2. cap. 17. & P. Nicol. Trigault. de christiana expeditione. ad Sinas, lib. 1. c. ult. in fin. Seraph. Freitas ubi sup. c. 4.

Nec desunt, qui scribant inter Brasilienses etiam aliquo tempore fuisse, & prædicasse, ut ex relatione Emman. Nobrigæ advertit Thom. Boc. lib. 4. de sign. Eccles. Dei, cap. 3. pag. 132. & lib. 5. cap. 12. pag. 207. & Maluend. dicit. lib. 3. cap. 25. ad fin. & Quo fit, ut parum auctoritati Societatis deferre debeamus, dum nullam Evangelij lucem usque ad tempora Constantini Interiori Indiæ illaram affirmat, lib. 1. hist. Eccles. cap. 15, sic iniquis: Cum Apostoli sortitè iter ad gentes suscepissent, Thomas Parthiam, in qua numero Apostolice perfunderetur, obtinuit: Matthæus Æthiopiâ, Bartholomæus Indiâ, que huic finitima est, sortitione cepit: India autem interior, quam permulta gentes barbare accolunt, linguis inter ipsas discrepantes, non ante tempora Constantini verbo Christi, & ejus religionis illustrata est. Et idem tradit Rufin. lib. 1. contin. hist. Eccles. Euseb. cap. 9. his verbis: In illa divisione Orbis terre, qua ad prædicandum verbum Dei, sorte per Apostolos celebrata est, cum aliæ aliis provinciæ obvenissent, Thoma Parthia, & Mattheo Æthiopia, eique adhaerens Interior India Bartholomæo dicitur sorte decreta. Inter quam, Parthiamque media, sed longo interior tractu, India Superior jacet, multis, varisque linguis & gentibus habitata, quam velut longè remotam nullus Apostolice prædicationis voverit impresserat. Etenim certius longè est D. Thomam in hanc quoque Indiâ pertrasse, ut ceteri auctores supra relati testantur: & Socrates, & Rufin. absolutam ejus excursionem, & prædicationem ignorarunt, sortitionem nihilominus inter Apostolos factam agnoscentes, & attendantes. Quamvis & hanc D. Thom. transgressus non videatur, quoniam Parthia eo tempore generale nomen erat, & universas ferè Asiæ nationes comprehendebat, ut ostendit Plin. lib. 6. c. 26. Solin. in Polystor. c. 59. & Paul. Oros. lib. 1. cap. 2. sic iniquis: *Affluens Indo, quod est ab Oriente usque ad flumen Tigrim, quod est ad Occasum, regiones sunt istæ: Arachosia, Parthia Assyria, Persis, & Media, situ terrarum montoso & aspero. Hæ à Septentrione habent montem Caucasum, à Meridie mare Rubrum & Sinum Persicum; in medio autem sui flumina præcipua Hydaspem, & Arabim. In his sunt gentes 32. Sed generaliter Parthia dicitur, &c.*

Et utcumque olim hæc D. Thomam in interiori 36 Indiâ prædicatio in dubio esse possit, & hodie tamen extra omnem controversiam posita est, cum plurimi & gravissimi viri, qui eas regiones nostris temporibus peragraverunt, & alii, qui eorum scripta, & epistolâs recolunt, passim testentur extare in illis multa & aperta hujus sancti Apostoli, & fidei, quam propagavit, vestigia, & præcipuè templa ab eo edificata cruce, & imagines sculptas, & Christianos, qui ejus nomen retinentes S. Thomam vocantur, ut constat ex Josepho Indo, in sua navigatione, pag. 142. Petr. Alvar. in suis

relat. pag. 132. Ludov. Vartoman. lib. 6. cap. 1. 2. & 14. Hieronym. Osor. lib. 3. & 4. de rebus gest. Emmanuel. Alan. Cop. Dialog. 3. cap. 19. pag. 438. ubi alios affirmare tradit, etiam & D. Joann. Evangelistam apud eosdem Orientales Indos prædicasse. Maff. d. lib. 1. p. 45. & seq. lib. 8. pag. 191. & lib. 12. ad fin. & alibi sæpè, Fr. Ant. de S. Roman in hist. Ind. Orient. lib. 1. cap. 13. & lib. 2. cap. 31. & lib. 3. cap. 30. Illes. in hist. Pont. 1. 2. p. lib. 6. cap. 22. §. 1. & 3. p. lib. 2. ex pag. 159. Bor. in relation. universal. 1. part. lib. 6. Maluend. dicit. lib. 3. de Antichristo, cap. 7. & 10. Pined. in Monarch. lib. 1. cap. 41. Fr. Joann. de la Puente in dicit. convenientia utriusque Monarch. lib. 2. c. 29. s. 2. & latissimè Jarric. d. lib. 2. cap. 17. & 18. & Joan. Lucen. in vita S. P. Xaverii, lib. 1. & Freitas, ubi sup. d. cap. 4.

Qui etiam tradunt, & qualiter à Lusitanis in 38 ruinis antiquæ urbis insulæ Mallapuræ, venerandum hujus Sancti cadaver inventum fuerit, & eidem insulæ ipsius nomen in posterum dederit. licet Martyrologium Romanum, & alii auctores Callianina macturam perhibeant, ac sacrum deinde corpus ad urbem Edessam Mesopotamiæ à Christianis translaturum, Sed verius esse Mallapuræ, aut integrum, aut majorem illius partem repositam fuisse: nam id semper indigene affirmant, & propter innumera, quæ ibi edebat, miracula, eximie locus ille ab omnibus licet infidelibus colebatur, ut Joann. Ind. Petr. Alvar. & alii in prædictis relationibus tradunt, & M. Paul. Venet. lib. 7. de Oriental. region. cap. 27.

Neque est omittendum & quod Maff. Jarric. 39 & alii subjungunt, in eadem nempe urbe sacram adem extruere aggressum Apostolum, cum à Demonymo sacrificulis, & à Sagamo Rege prohiberetur, rem interim insignem accidisse, ad Christi virtutem, & fidem Evangelij comprobendam. Inusitata quippè magnitudinis truncum, ut fit, in litus eiecerat mare, quod eo tempore leucas ferè decem ab urbe distabat, Eam Rex materiam cum in usum edificij ejusdam vehementer ex peteret, robusti primum homines incassum funibus, ergastisque amovere conati: deinde adhibiti complures elephanti, cum toto connixi imperu nihil omnino proficerent, Apostolus Regi conditionem tulisse fertur, si truncum illum sibi ad templum vero Deo edificandum daret, nullis machinis, nullo mortalium adjutore, sese protinus ad urbem attracturum. Cum Rex, insanire videlicet hominem ratus, per ludibrium annuisset, tunc D. Thomas zonâ quæ erat præcinctus, ad prominentem è caudice ramusculum annexa, signo tantum facto Crucis, immanem stipitem facili ductu sequentem, universa ad spectaculum effussa civitate, in ipso pomærio statuit: ibidemque defixa lapideâ Cruce, & vaticinatus est; cum ad eum lapidem usque peringeret pelagus, tunc divino jussu è remotissimis terris candidos homines ad eadem, quæ ipse intulisset, sacra instauranda venturos. Neque fessit prædictis; siquidem sub Lusitanorum appulsu, occultis tot annorum accessibus locus Oceano demum allui coeptus, & lapidea & illa crux, sive alia marmoris insculpta, ad 41 quam postea genuflexus Apostolus interfecit fuit, anno 1548. ab eisdem Lusitanis reperia est; quæ exinde, singulis propemodum annis, die vi- ge-

gesima prima Decembris, eidem Sancto dicata, splendescit ac liquorem fundit, perinde ac si oleo delibuta fuisset, & mox multas sanguinis guttas stillat, eo ipso tempore, quo a Sacerdote Missam celebrante, Evangelium recitatur. Quo miraculo adducti innumeri Indorum Orientalium, quotannis ad Christi fidem convolare dicuntur, ut præter auctores supra relatos refert Thom. Boc. de sign. Eccles. Dei, lib. 2. cap. 11. pag. 81. Maluend. dist. lib. 3. de Antichrist. c. 12. pag. 136. & 137. Pet. Damartz Lusitan. in Dialog. 5. de var. histor. pag. 328. Horat. Turselin. lib. 1. de vita S. Pat. Xaverii, cap. 16. Jacob. Greiser. lib. 2. de Cruce, cap. 2. Jacob. Gualter. in Chronographia. pag. 741. & Fr. Joan. de la Puente in d. Convenc. utr. Mo. nar. lib. 2. cap. 29. §. 2. in fin. pag. 294. Et quod, Lusitani propter hæc miracula D. Thomam in India Patronum elegerint, illumque jussu Regis in præliis simul cum D. Jacobo invocare solent, auctor est Maff. lib. 13. pag. 326. Maluend. ubi supra, cap. 7. & seq. Jarric. d. lib. 2. cap. 17. & 18. Freit. de Imper. Asia. cap. 18. num. 10. ubi alia congruent de hujus sanctissimi Apostoli in hac India prædicatione, & de variis Christianorum populis, qui ibi etiam hodie fidem ab illo annuntiatam retinent, licet multis erroribus obscuratam.

44 Sed et audiamus elegantem quemdam nostris temporis Poëtam illud D. Thomæ oraculum his carminibus resonantem.

Pone modum lacrymis, nec tempora fausta doloris
 Obdancant nubes, Asia dum Regna micanti,
 Lyriadum splendore, novum tortis decorem,
 Auroræ primos obscurant liminis ortus,
 Quæ mihi consilio Superam sunt dedita curæ,
 Regna Asia tradam, recepto dominantia potentis
 Emmanuelis, amat sibi felix India nomen
 Lyriacum: vitura citò victricibus armis
 Alphonsum dantem Mahometi in Tartara Regnum,
 Quo pietas, & casta Fides in pristina surgant.

CAPUT III.

De eisdem Indiis Orientalibus, & felicissimis Lusitanorum in illis inquirendis, subigendis, & Christi Fide Illustrandis expeditionibus.

SUMMARIUM.

- 1 India Orientales non satis antiquis cognita.
- 2 Marcus Paulus Veneris totum penè Orbem lustravit.
- 3 Mahometani quando primam ad Indiam Orientalem accesserint.
- 4 Lusitani magis quam reliqui Orientalem Indiam perlustrarunt.
- 5 Lusitanorum laudes ob navigationem, & acquisitionem India Orientalis.
- 6 Herculis & Alexandri expeditiones in Indiam Orientalem.
- 7 Semiramis Indicum bellum frustra tentavit.
- 8 Scotoris Egypti, & Tharco Ethiopia Rex nunquam Indiam viderunt.
- 9 Nabocrodosorus, Idantyrus, & Cyrus ad Indiam Orientalem non pervenerunt.
- 10 Trajanus habuit in votis expeditionem in Indiam.
- 11 Adrianus Imperator ad Eufratem tantum pervenit.
- 12 Emilianus expeditio in Indiam Orientalem parum proficua.
- 13 Cesarion filius Cesaris, & Cleopatra in Indiam missus.
- 14 Indi Orientales nunquam bellum alii moverunt, & raro succurrerunt.

- 15 Lusitanorum navigationis in Indiam Orientalem initia.
- 16 Henricus Portugallie Infans plures insulas adinvenit.
- 17 Tercera insula quando detecta.
- 18 Madaga insula detectio, & magnitudo.
- 19 Insula de Arguin, & de Caboverde, reperite.
- 20 Insula de Caboverde an eadem, ac Fortunata.
- 21 Henricus Infans insulas à se detectas & detegendas Lusitanis Regibus donavit.
- 22 Romani Pontifices qualiter concesserint Lusitanis Regibus acquisitionem, & acquisitionem Orientalium Indiarum.
- 23 Alphonus Lusitanie Rex quid in Africa, & India acquisitione præstiterit.
- 24 Insula de Fernan Po, anni boni, sancti Thomæ, & alie quando reperte.
- 25 Joannes II. Rex Lusitanie multum profecit in navigationibus India Orientalis.
- 26 Promontorium Ganarix quando superatum, & cur Tormentosum, & Bonæ Spei dictum.
- 27 Joannes II. Lusitanie Rex mittit exploratores navigationis in Indiam.
- 28 Joannes II. Rex Lusitanie mittit legator in Indiam ad querendum Petri-Janem.
- 29 Emmanuel Rex Lusitanie plures classes in Indiam expeditionem mittit.
- 30 Vasco Gama Lusitanie felicissimæ navigationes & expeditiones in Indiam.
- 31 Petrus Alvares Capralis ingentem classem in Indiam ducit.
- 32 Brasilia Provincia qualiter à Caprali detecta, & Sanctæ Crucis dicta.
- 33 Malabaricum bellum cum Calcuta Regulo cur captum.
- 34 Francisci Almeida, & Alphonzi Albuquerquei egregia facinora.
- 35 Goa urbs Imperii Lusitanici in Oriente sedes quando capta.
- 36 Insula S. Laurentii quando reperta.
- 37 Malaca urbs, & ejus expugnatio.
- 38 Sumatra insula, & an eadem, que Trapobana, vel Aurea Chersonesus.
- 39 Zeilan insula detegitur, & ejus ubertas, & an sit Trapobana.
- 40 Paradisus Terrenalis creditur fuisse in insula Zeilan.
- 41 Moluccæ insule quales, & quando reperte.
- 42 Sinarum latissimum, & ditissimum regnum, & quando à Lusitanis lustratum.
- 43 Abyssinorum Regis ad Pontificem Romanum, & Lusitanie Regem legatio.
- 44 Ethiopia Africane partem antiquis incognitam, habitas Abyssinorum Imperator vulgo dictus Presbyter Joannes, id est, Preste Juan.
- 45 Insularum Japonii, Lequii, Bornei, Javarum, & Philippinarum detectio, & magnitudo.
- 46 Ormuzii Regnum in confinibus Persiæ à Lusitanis captum, & ejus emporii celebritas.
- 47 Auctores plurimi recensentur, qui de rebus, & historiis India Orientalis scripserunt.
- 48 Emmanuel Rex Lusitanorum scripsit historiam Occidentalium.
- 49 Abyssinorum de rebus qui scribunt.
- 50 Lusitanorum virtus, & constantia in navigationibus, & expeditionibus India Orientalis à multis exollitur.
- 51 Lusitani Reges India Orientalis opes, & commercia in se transferunt.
- 52 India Orientalis commercium, & negotiatio semper fuit questuosa.
- 53 India Orientalis divitie admirabiles.
- 54 Lusitanie Reges quibus titulis uti sunt post India Orientalis acquisitionem.
- 55 Emmanuel Rex globum sphericum suis insignibus addidit.
- 56 Lusitanie Reges cur à Deo titulis Orientalis India ornari meruerint.
- 57 Lusitanie Reges primam curam expeditionum India in propagatione Evangelii collocarunt.
- 58 B. Francisci Xaverii in convertendis Orientalibus Indis labores & in vita, & post mortem miracula, & quam justè fuerit in numerum Divozum relatus.

- 59 B. Ignatii à Leyola æquimus zelus conversionis Indorum Orientalium, & piissima illera, quas super hoc ad Abyssinorum Regem scripsit.
- 60 Emmanuelis Lusitanie Regis cura conversionis Indorum, & pia legatio ad Leonem X. Pont. Max.
- 61 Joannis III. Lusitanie Regis elegantissima & piissima epistola ad ejus in India Orientali Prærogem.
- 62 Lusitanorum gloria & triumphus, ob detegendam & subjugatam Indiam Orientalem, carminibus venustissimis celebratur.

Fuit quidem, ut vidimus, antiquioribus seculis aliqua Orientalium Indiarum cognitio, & tamen illa, & multis fabulis, & erroribus involuta. Et sanè postea magis in obscuro esse coeperunt, & ferè extra commercium, imò & notitiam cæterarum Europa nationum extiterunt, propter navigationis ignorantiam, itinerum terrestrium difficultatem, & propter pericula, quæ ex tot diversarum sæcularum hostibus imminabant. Adcò, ut vix fidem meruerit Marcus Paulus, natione Venetus, qui cum ex annò ab Incarnatione Domini 1269. totam penè Asiam, Africamque, & Europæ magnam partem ausus fuisset lustrare, & circumnavigare, in patriam tandem reversus, eorum omnium regionum, quas adiverat, & præcipuè istarum Orientalium relationes scripsit. Quem merito hæc de causa laudat Tom. Boc. Eugubini. lib. 6. de sign. Eccles. Dei. cap. 6. pag. 236. & lib. 8. cap. 1. pag. 291. Post hunc Mahometani aliqui, ante 240. annum, ex Provinciis confinibus paulatim in plures hujus Orientales Indias oras appulerunt, & per vim compulsi ad montana incolis, maritima planitie, & loca maxime opportuna commerciis occuparunt, & quod pejus fuit, suæ Sæcæ pestem invexerunt, ut refert Maff. lib. 4. hist. Indic. pag. 96.

Sed nulli unquam mortalium majores in hoc progressus fecerunt, f. quam præclarissimi, & invictissimi Lusitani. Hi enim patrum nostrorum memoria Indicum navigationem tentantes, nullis sumptibus parcentes, nullisque laboribus, difficultatibus, aut periculis territi, incredibili virtute & constantia eò usque processerunt, ut extrema, & intima totius Orientis sedulo penetrarent, & non tantum vastas, & immensas illius Provincias lustraverint, verum & Christi fidem docuerint, atque earum plures, à Saracenis possessas, suæ dictioni & imperio subjecerint.

Quorum f. laudes multis verborum encomiis prosequitur Thom. Boc. ubi supra, & lib. 21. cap. 2. pag. 372. & seqq. ubi cuncta felicia prosperæ Regum Lusitanorum commemorans, eorum navigationes ultra ducentos gradus progressas considerat, & nullam unquam gentem fuisse, quæ navali peritâ Lusitanos excesserint, aut tam diuturnas, & opulentas navigationes aperuisse legatur, commerciaque induxisset inter tot, ac tam barbaras, effertasque gentes, ita maxime facientia ad humani generis societatem devincendam, ut jam ridicula videri possint, quæ de Tyriis, & Carthagenensibus rei nauticæ peritissimis ab antiquis jaçabantur, & quæ somnando de Baccho, Hercule, & his similibus fabula prodiderunt. Idem laudè & elegantèr memorat & extollit Paul. Jovius lib. 12. histor. qui antea lib. 4. paucis multa perstringens, sic scripsit.

Indici maris emporia nobis Lusitanica. classis

aperuit, cum ab Atlantico Oceano altimum Ethiopia promontorium, ingenti spe, unde ei nomen, insitatoque ausu prætervectâ, ultra Arabicum, Persicum, & Gangeticum vastissimos sinus, ad Auream usque Chersonesum, extremitate Sinarum littora coemendis aromatis negotiationem extendere. Et Joan. Voerthusin. lib. 5. Phœnicis Augustæ fol. 21. dum inquit: Lusitani autem longum ab Africa Numidisque provecchi, ad Nili fontes, & Rubrum adusque mare progressi sunt: & hinc Gangi, illinc Euphrati, Deo, ut par est credere, auctore, & ipso invitante celo, magnâ se tum nominis, tum fame gloria intererunt. O Reges dignos omnium favore, dignos Antipodum, & adventu si quaquâ patet Orbis imperio.

Et reverâ mirabilis & inusitata hæc navigatio, & tanti Orbis subjugatio appellari potest: Nam longo intervallo Indicas Herculis, f. Alexandri, & aliorum expeditiones excessit, quos scimus, quam parum in illis profecerint.

Semiramis f. quoque, quæ bis hoc bellum tentavit, semel ad Indum fluvium, iterum paulo interius: prius victrix, sed deinde victa recedere coacta est, ut ex Magasthene recensuit Strabo, & Diodor. Sicul. lib. 3. & Ludovic. Vives in annot. ad D. Aug. lib. 18. de civit. Dei, cap. 2. ubi subjungit, f. Sesostrium Egypti Regem, & Tharconem Ethiopia, licet usque ad Europam, & Herculis columna pervenerint, nunquam tamen Indiam vidisse Neque Nabocrodosorum, f. quem Chaldei Herculi quoque præferunt. Idantyrum vero, licet Egyptum sit ingressus, ad Indos tamen non venisse constat, & Cyrum Massagetæ solum atnis sollicitasse, Indis intactis. Trajanum etiam f. legimus eandem expeditionem in votis habuisse, jaçasseque se, ultra quam Alexander penetrasset, in India progressurum, quod & Senatus per epistolam significavit, ut refert Dio, & Cuspinian. in ejus vita. & Eutrop. lib. 8. histor. Roman. sed certum est, ad regiones tantum, quæ circa Tigridem sunt, pervenisse, f. Adrianum ad Eufratem: quamvis hi duo longiores Romanæ Monarchiæ terminos in his partibus collocaverint, ut optimè in eorum vitis Sueton. Dion. Casius, Petr. Mexia, & alii Scriptores observant. f. Neque magis profecit Emilianus Imperator tyrannus, qui, ut Trebellius Pollio auctor est, in Egypto agens, aliam contra eosdem Indos expeditionem paravit: Aut f. Cesarion filius Julii Cesaris & Cleopatæ, quem teste Plutarcho in Antonio, cum magna pecuniæ summa miserat mater per Ethiopia in Indiam: Atque f. hoc 14 est, quod ex Strabone lib. 15. tradit & affirmat Coel. Rhodigin. lib. 18. antiq. lect. cap. 31. ab Indis nusquam foras missum exercitum, & exteras gentes bello appetitas, ne quid parum justè committerent neque extrinsecus etiam adversus eas bellum ingruisse, exceptâ Herculis, Bacchi, & Alexandri expeditione.

Hujus f. Lusitanicæ navigationis prima fundam. 15 menta Joannes Portugallie Rex, eo nomine primus jecisse videtur: nam anno 1483. maximam classem instruxit, quâ Septem, urbem Mauritanie munitissimam, in ora maritima Gaditani freti sitam, expugnavit, & inde fuit oblata occasio Lusitanis, qui in illius urbis præsidio constituti fuerant, armis latius evagandi.